

**De nicotiana : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Hermannus Heutzfeld.**

**Contributors**

Heutzfeld, Hermann.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Augusti Petschii, 1818.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/j5tcnzyg>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
**N I C O T I A N A.**

---

**D I S S E R T A T I O**  
INAUGURALIS MEDICA,  
QUAM  
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE  
**G R A T I O S I M E D I C O R U M O R D I N I S**  
IN  
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,  
PRO SUMMIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS  
RITE CAPESENDIS,  
*DIE XXX. M. JUNII A. MDCCCXXVIII.*

H. L. Q. S.  
PALAM DEFENDET  
AUCTOR  
**H E R M A N N U S H E U T Z F E L D,**  
SILESIUS.

---

OPPONENTIBUS:

*M. ASCHERSON, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.,  
J. SCHAYER, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.,  
H. BRESSLER, MED. ET CHIR. DR.*

---

BEROLINI,  
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

А И А И Т О О И

О И Т А Т Я З З А Д

IZANGUTTS MEDICIN

CIRIACI MEDICINA ODIUS  
COSAS DE LA VIDA Y MORTALIDAD

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

ИЗАНГУТТИ МЕДИЦИНА

СОСНОВЫЙ МАТЕРИАЛ

СОСТАВЛЕННОГО

АКАДЕМИЧЕСКОГО УЧЕБНОГО ПОСЛЕДОВАТЕЛЬНОСТИ  
СОСТАВЛЕННОГО ПОД РЕДАКЦИЮ АКАДЕМИЧЕСКОГО  
УЧЕБНОГО ПОСЛЕДОВАТЕЛЬНОСТИ

<https://archive.org/details/b22482817>

I. A. HEUTZFELD,

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

PIAMENTE

OITRO DILECTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

## HISTORIA PLANTAE.

Expeditio illa, qua nova rerum humanarum exorsa est series, incognitum antea orbem aperiens, non tam terrarum spatio, quo ita ample nos donavit, quam, quod serius demum innotuit, rerum naturalium thesauro, qui inde ad nos emanavit, summam claritatem sibi conciliavit. Inter plantas vero, quibus acceptis gaudemus, eam de qua nunc verba facturi sumus, haud infimum mereri locum, si usum, quo omnes fere gentes imperio suo subjecerit, consideret, quisque fatebitur.

Herba nicotianae reperta est primum in insula sancti Dominici ab eremita quodam Hispano, nomine Romani Pani <sup>1)</sup> anno MCCCCIVC, deinde a compluribus Hispanis, anno MDXX in Jucatana inventa est. Sunt, qui hanc plantam in Europa indigenam et diu iam ante Americam detectam, cognitam fuisse contendunt, cui opinioni inter ceteros Johannes Liebaut <sup>2)</sup> maxime adsentit. Anno MDLX a Johanne Nicotio <sup>3)</sup>, Francisci secundi Gallorum regis, ad Sebastianum, Lusitaniae regem legato, in Galliam reduce, Catharinae matri Reginae Mediceae planta nostra dono data et recomman data est, ex quo tempore toti Europae innotuit. Variis ejus fatis varia adscribenda sunt plantae nomina. Tabaci, quod ei est nomen, neque ab in-

<sup>1)</sup> Gesenius, Handb. der pract. Heilmittel. Stendal 1791.  
pag. 188.

<sup>2)</sup> A. A. Pauich, diss. de nicotiana. Vind. 1827. p. 8.

<sup>3)</sup> A. W. Platz, Diss. de tabaco sternutatorio. Lips. 1727.  
recus. in Dissertt. de jucundis morborum causis. Lips. 1758.

sula Tabago, neque a provincia Tabasco derivatum, sed ab Hispanis Arabice ex similitudine, quam cum alia planta, ab Arabibus Tabac nominata, habet, inditum esse nunc plurimis placet. Sic quoque Canastri nomen non a canistra (corbe), sed a voce Hispanica Canasta <sup>1)</sup>, quae idem quod Arabice Tabac significat, deducendum videtur. Barbara a gentibus barbaris nomina gerit, sic ab Americanis Picielt, ab Hispaniolae incolis Petebecenuc, et novae Franciae Petum, seu Petunum nominatur. Nicotiana nominata est a Nicotio, et in reginae Catharinae honorem herba Reginae, herba Medicea dicta est. Inter Italos a cardinale a Sta. Cruce, qui e Lusitania, et a Nicolao Tornabone P. M. legati, qui e Gallia eam introduxerunt nuncupata est. A laudatoribus, quos postea frequentissimos habuit, nominibus Panaceae <sup>2)</sup> antarcticae, herbae sanctae, sacrae, herbae contra omnia mala, Buglossae, insignita est.

Usus ejus primum, ut corpora a muscarum culicorum ictibus servarent, tum voluptatis causa, jam Americae incolis notus, ad Anglos, quibus planta ipsa jam inde a Francisco Drakio cognita fuit, a Walthero Raleghio ex America reduce translatus est, unde in totam Europam migravit. Sed utendi hac voluptate modus incommodior et ab hodierno valde abhorrens fuit, cum enim, referente Gesnero, folia concisa carbonibus ardentibus imponerentur, et fumus inde ortus per infundibulum naribus adduceretur.

Plurimos fautores hic mos ex eo tempore sibi vindicaverat, quo, jubente matre Catharina, a Carolo tunc principe postea rege contra capitis dolores non sine successu pulvis nicotianae sternutatorius adhibitus est. Inter clarissimos autem inimicos ejus Iacobus primus Magnae Britanniae rex primum tenet locum, qui infestissimis verbis usum ejus vituperabat. Severiorem contrarium magnum Moscovitarum habuit principem, qui lege vetuit, ne quis fumum tabacinum cieret, nisi foedissimam poenam

<sup>1)</sup> Murray, apparatus medicam. ed. altera. p. 685.

<sup>2)</sup> J. Chrysostomi Magneni exercitationes de tabaco. Ticinii Regii 1648.

subiturus. Etenim, qui legem laedebant, naribus laciniatis, virgis caedebantur, et nota urebantur. In Oriente quoque magna saevitia contra fumatores a principibus invectum est. Supremus Turcarum rex supplicio eos affecit. Neque mitius Abas Persarum rex egit, qui legem supergressis nares et labia resecari, ac tabaci mercaturam facientes comburi jussit<sup>1)</sup>. Immo et sanctissimis armis contra ejus usum pugnatum est, nam bulla exstat Urbani VIII. Pontificis Maximi, qua in templis pulverem nicotianae naribus sumturus, sanctae ecclesiae et aeternae salutis expers fore minitatur<sup>2)</sup>. Sed haec omnia impedire non potuere, quominus saeculo decimo septimo nondum finito, tabaci usus per totam Europam totumque Orientem in omnium fere, ut ita dicam, ore versatus esset, ita ut a rerum luxuriosarum ordine ad rerum maxime necessiarum ascenderit. Quale enim regnum, et quam grave moderamen omnibus fere gentibus imposuerit, disquirenti ultiro jam apparebit, si et ad serendum quod terrae spatium latissimum, et ad colendum quanta hominum manus, denique ad instrumenta omnia ejus usui inservientia, quae assidua requiratur industria, diligentius recenseat.

## HISTORIA NATURALIS.

Nicotiana planta est perennis Americae septentrionalis, in plurimis Europae et Asiae regionibus culta, annua. — In systemate Jussieui Solaneis, Linnei Penstrandriae monogyniae adscripta. Planta est herbacea florescentiae plerumque panniculatae, raro spicatae.

Nicotiana. Calyx urceolatus, ventricosus, quinquefidus, corolla infundibuliformis, regularis; tubus calyce longior; limbus apertus, planus, laciniis quinque aequalibus; capsula ovalis, bilocularis, bivalvis, valvis medio septiferis, apice bifida; semina parva, irregularia, globosa, aspera.

---

<sup>1)</sup> Albini diss. de tabaco. Francof. ad Viadrum 1695.

<sup>2)</sup> Panich l. c. p. 20.

**N. Tabacum.** Caulis erectus, ramosus, teres, altitudine II — IV pedum, pilosus, glutinosus; folia alternantia, magna, ovalia, acuminata, basi attenuata, sessilia, utrinque pilosa et subglutinosa; odoris narcotici, ingratissimi; longitudine pedis unius, latitudine III — IV pollicum; flores terminales, paniculati, magni, rosacei; calyx tubulosus, ventricosus, quinquefidus, segmentis apice acuminatis; corolla infundibuliformis, externe pubescens; tubus cylindricus, calyce duplo longior, sursum dilatatus; limbus latus, planus, quinquefidus, laciniis acuminatis; stamina V tubo aequalia, medio tubo inserta; filamenta subulata subtus pilosa; antherae ovales, obtusae, subtus bifidae. — Pistillum disco hypogynico colore tantum ab inferiore germine diverso insidens; germen ovale, acuminatum, biloculare, uterque loculus multis ovulis repletus; stylus filamentorum longitudinem fere aequans, glaber, cylindricus, apice dilatatus; stigma complanatum, emarginatum, capsula ovalis, subacuminata, duabus valvis sponte dehiscens; semina numerosa spermophoro fornicato adfixa. — Habitat in America. — Icon in Renealm. spec. tab. 38.

**N. macrophylla**, foliis ovatis, acutis, amplexicaulibus, basi auriculatis, corollae fauce inflato — ventricosa, laciniis limbi ovatis, acutis. Habitat in America. Valde affinis N. Tabaco.

**N. fruticosa**, foliis lanceolatis, acuminatis, petiolatis, caule fruticoso, laciniis limbi corollae acuminatis. Habitat in China.

**N. rustica**, foliis petiolatis, cordatis, ovatis, obtusis, integerrimis, corollae tubo cylindrico calyce duplo longiore, limbo obtuso. Habitat in America.

**N. panniculata**, foliis petiolatis, cordatis, ovatis, acutis integerrimis, corollae tubo clavato calyce multoties longiore, limbo obtuso. Habitat in Peru.

**N. plumbaginifolia**, foliis ovatis sessilibus amplexicaulibus, subrepandis, floralibus lanceolatis, undulatis, corollae tubo subclavato calyce multoties longiore, laciniis limbi ovatis, acutis. — Habitat in America.

**N. glutinosa**, foliis cordatis, corollis racemosis subringentibus, calycibus inaequalibus. — Habitat in Peru.

Praeter has, quas, quia nicotianae tabaco maxime sunt affines accuratius attuli, plures etiam species nobis notae sunt, quales N. pusilla, N. undulata, N. urens et aliae. In usum medicum solum N. tabacum vocatur, qua de causa huic majorem operam dedimus.

Praeter Americam, ubi praestantissimae notae in Brasilia, Mexico et potissimum in provinciis septentrionalibus, Virginia, Marylandia, Louisiana, etiam in plurimis Europae terris, et ex his praecipue in Hispania, Belgia, Pannonia, Dacia, Polonia, Silesia et aliis, nec non in Asia minori summa copia et industria colitur. Poscit autem solum pingue, humidum, assidue excultum, et in frigidioribus regionibus bene stercoratum; solem amans australem, frigoris impatientissima. Tempus, quo semina ejus terrae mandantur, apud nos est mensis Aprilis, quo durante pro diverso eujusvis anni calore seriores maturioresve dies ad id destinantur. Folia de caule, summitatibus ad impediendam inflorescentiam paullo antea decisis, mensibus Augusto et Septembre resecantur.

### DISQUISITIO CHEMICA.

Jam priore saeculo analyses de tabaco instituta sunt; ita jam anno MDCCXXXVI Buechnerus<sup>1)</sup> constare Tabacum ex liquore peculiari, oleo et sale, scripsit. Accuratiorem hodiernoque litterarum statui aptiorem primum Vauquelinus instituit analysin<sup>2)</sup>. Primum folia recentia expressit. Cum succo magna copia materiae viridis per linteum fuderat, quae filtro separabatur. Succus tincturam musci laccae rubefecit; tinctura Gallarum et acida mineralia sedimentum lacteum voluminosum praecipitavere. Aliis reagentibus adhibitis calcaria, acidum malicum et acidum muriaticum aderant. In calore fervente multum materiae albuminosae coagulatum est;

<sup>1)</sup> Buechner, diss. de genuinis tabaci viribus ex principiis ejus constitutivis demonstratis. 1746.

<sup>2)</sup> Ann. du mus. d'histoire nat. T. XIII. 1809. p. 260. — Tromsdorf J. XIX. I. 316.

succus ab hac liberatus, plumbo acetico praecipitabatur, praecipitatum gase hydrothionico decomponebatur, et obtinebatur acidum malicum, calcaria malica et aliquid materiae animali-vegetabilis. Calcariae malicae tanta copia ei inest, ut e liquore ad tertiam partem per evaporationem diminuto in crystallis prodeat.

Succus, plumbo acetico praecipitatus, coloris fuit flavi, odoris et acrimoniae ejusdem, quam recens. Destillationi subjectus, odore herbaceo et parum saporis praeditus fuit. Quod in vase residuum erat, cum paucillo kali commixtum odorem tam fortem et penetrantem exhalavit, ut inspiratus sternutationem et lacrymas excitaret. Iterata destillatione liquor accipiebatur tabaci fumo similem odorem spargens acerrimum, ut fortiter inspiratus eundem sensum efficeret, quem pulvis sternutatorius in fauces delapsus. Ipse liquor alkalice reagebat, quod Vauquelinus sali ammoniaco per kali additum decomposito adscribit. Ut materiam elementarem mere acciperet, liquorem leni calore evaporantem cum alcohole digessit. Evaporante solutione spirituosa, in superficie liquoris aliquantum fusci cujusdam olei apparuit. Hoc oleum, quum inter refrigerandum secretum, et in massam sere firmam redactum esset, carbonibus ardentibus impositum, sumum sparsit densum, et odorem tabaci fortem vix tolerandum. Hoc acre tabaci principium non tam volatile esse visum est.

Ceterae, e quibus consistit nicotiana, partes nihil proprii ostendebant. Amylum viride cum aliquantulo albuminis conjunctum erat. Materia in calore coagulata omnes albuminis virtutes habuit, cui aliquantum calcariae malicae fuit immixtum. Succus inspissatus haud exiguum partem nitri habuit. E residuo foliorum tabaci expresso, per acidum nitricum dilutum, calcaria malica, oxalica et phosphorica educebantur. Residuum fibrosum combustum reliquit magnam partem silicii, parum calcariae et ferri oxydati. Praeter materiam elementarem hae igitur partes inerant: materia rubra animali-vegetabilis in aqua, et in spiritu vini solubilis; albumen; amyllum viride; acidum malicum; acidum

aceticum; nitrum; sal ammoniacum; kali muriaticum; magna pars calcariae malicae; in residuis: calcaria oxalica et phosphorica; et in cineribus: sili-  
cium et ferrum oxydatum.

Sed quum Vauquelini experimentis materia nicotianae non mera et secreta in lucem redacta fuisset, novam analysin Hermbstaedtio instituere placuit<sup>1)</sup>. Folia sicca concisa cum sex partibus aquae destillatae, in retorta fervide digerebantur, deinde contenti liquoris pars tertia calide adhuc destillabatur. Destillatum turbidam continuit materiam nicotianae propriam, partim solutam, partim immixtam. Neque alkaline, neque acide reagebat, tinctura Gallarum albos floccos protulit, qui in acidis et in alkalibus solvi potuerunt. Destillatum maxime concentratum, e sex libris foliorum paratum, per quinque dies in cylindro vitreo tecto servatum et clarefactum, in superficie praebuit substantiam albam in foliis crystallisatam, quae merum nicotianum erat.

Ut ea pars nicotianini secerneretur, quae in destillato soluta manserat, plumbo acetico acidulo prae-  
cipitabatur, praeципitatum album diluebatur et acido sulphurico decomponebatur, sed ita ut haec non praevaleret, et modo fluidum a plumbo sulphurico remotum in aëre sensim evaporaret. Nicotianinum, quod remansit, materia erat mollis, crystallina et cum priore simultanea. Nicotianinum has praebet virtutes:

- 1) linguam et fauces proprium in modum excitat, tabaci simile,
- 2) paucillum ejus naribus illatum sternutationem effecit,
- 3) granum ejus deglutitum effecit vertiginem et vomiturbationem,
- 4) in calore liquefactum est,
- 5) pari modo in aqua ut in alchole solvitur,
- 6) in calore evaporat, et odorem exhalat ei similem, qui fumo tabaci melioris oritur,
- 7) cum acido muriatico conjungi nequivit; sub evaporationem acidum muriaticum aufugit, et nicotianinum immutatum remansit.

---

<sup>1)</sup> *Schweigers N. J. I.* 1821. p. 442.

In sumo tabacino nicotianini effectus praevaleret et jucunde reagit, sed oleo empyreumatico haec suavitas corrumpitur.

## DE VIRIBUS NICOTIANAE.

Primas jam, postquam innotuit nicotiana, annis, sicut tunc temporis mos erat; immodicis laudibus vires ejus efferebantur, ita ut nullus fere morbus reperiretur, cui medendo aptae habitae non essent. Recentioribus temporibus cum acutiore judicio, et sicut ex hodierno scientiarum omnium statu fieri potuit, majore certitudine de viribus ejus quaestum quidem est, attamen dolendum, huic nostrae plantae non eandem quam meretur curam adhibitam esse, et modo recentissimorum fuit auctorum, diligentius vires ejus scrutari et indagare. Recenseamus licet, quaecunque auctores repererint, et quae experimentis eorum doceamur. —

Ex antiquioribus, qui de tabaco scripserunt auctoribus, Neandro <sup>1)</sup>, Magneno, Simone Pauli <sup>2)</sup> tabaci maxime adversario, Albini, Juncker <sup>3)</sup>, Buechner, aliisque, praeter celeberrimum, quem jam ante monui, usum, in quem prius adhibitum est, nihil aliud certum accipimus, quam consentire eos de viribus ejus acribus, obstupentibus, nauseam, vomitum, convulsiones, spasmos excitantibus. Disquisitus et a praejudiciis magis remote insequentis saeculi medici egerunt, multaque et casu observata, et de industria experta nobis reliquerunt. Laudari possunt prae aliis Sydenhamus, van Haen, Rau, Gaubius, Gardane, Schaeffer, Tissot, Stisser, Lorry, et ante omnes Fowlerus, qui peculiarem plantae nostrae operam dicabat. — Quos seuti novissimis temporibus Vauquelinus, Orfila, Earle, Brodie aliique summam curam nicotianae impenderunt, ita, ut nunc certiores de ejus viribus esse videamur.

<sup>1)</sup> *Neandi tabacologia h. e. tabaci seu nicotianae descriptio*  
Lugd. Bat. 1626.

<sup>2)</sup> *Simon Pauli disputatio de abusu tabaci.* 1665.

<sup>3)</sup> *Juncker de masticatione foliorum tabaci in Anglia usitata.* 1744.

Folia nícotianae facultates habent maxime irritantes et obstupentes, et quavis forma adhibeas, varias excitant affectiones; inquietudinem, dysphoriam, auctam salivationem, nauseam, vomitum vehementem, colicam, diarrhoeam, anxietatem, sudores frigidos, vertiginem, temulentiam capitis, cephaleam, somnolentiam, soporem, tremorem artuum, spasmos, convulsiones, debilitatem, lipothymiam et alia.

Praeter ea, quae de industria instituebantur, experimenta, plures notae sunt observationes, quae nícotianae vires manifestant.

Mulier quaedam tribus infantibus, qui tineam habebant, quum caput unguento e butyro et pulvere nícotianae parato oblevisset, infantes paullo post vertigine, et vehementer vomitu correpti, et sudoribus obsusi, per viginti quatuor horas quasi ebrii agebant<sup>1)</sup>. — Decoctum foliorum partibus scabiosis impositum, vomitus cruentos et convulsiones vehementissimas movit<sup>2)</sup>. — Homo, qui eximiam pulveris nícotianae partem naribus hauserat, somnolentia corruptus et apoplectice mortuus est<sup>3)</sup>. —

Inter vomitus ingentissimosque dolores Santeuil, poëta Gallicus obiit, postquam vinum tabaco Hispanico infusum biberat.

Decoctum foliorum in cerevisia vomitum, diarrhoeam, anxietatem, debilitatem effeet, sopore cum nimio sudore succedente<sup>4)</sup>. — Masticata tantum sed non deglutita temulentiam movisse, quod cani etiam una cum vomitibus accidisset, Gesnerus<sup>5)</sup> refert. — Idem bestias nonnullas acu filisque oleo tabacini tinctis laesas interfecit. —

Hasce, quibus et aliae plures in unum fere scopum conniventes afferri possint, observationes, haud inepte ea sequantur experimenta, quae recentioribus temporibus ab Orfila<sup>6)</sup> et Brodie tentata, ac pro

<sup>1)</sup> Ephemerides naturae curiosorum decas II. anni 4. p. 46.

<sup>2)</sup> Orfila l. c. p. 245.

<sup>3)</sup> Orfila traité des poisons. T. II. P. I. p. 253.

<sup>4)</sup> Eph. N. C. Dec. 2. A. 10. Obs. 131. p. 222.

<sup>5)</sup> Gesneri Epistolæ. L. 2. p. 79. seqq.

<sup>6)</sup> Orfila l. c. p. 245.

varia illorum dignitate succincte hic afferantur. — Ab Orfila in canis robusti et mediae formae ventriculum quinque drachmae et dimidia tabaci pulverati, ligato oesophago, illatae sunt; aliquot momenta post canis vomituriendi nisum habuit. Post sex horas tardissime ingrediebatur, leviores habuit vertigines, extremitatibus posterioribus continuo trementibus, sensuum organorum laesione non apparente, respiratio aliquantum accelerata. Post horam octavam uno latere situs, erigere se jam non potuit, interdum frustra tollendi operam dans; cutis lurida et semper tremulans, facies stupescens, musculi vertebrarum cervicalium convulsionibus lentis movebantur; membra languida; organa sensuum minorem irritabilitatem, quam in statu naturali praebuerunt. Respiratio profundissima, suppressa, et maxime accelerata; pulsus cordis frequentes, fortes. Hora ex orto experimento nona mortuus est; postridie cadaveris sectione mane instituta, pulmones tota superficie lividi, texturae densioris quam in statu naturali, et in aqua aliquid submergentes; cor coagula nonnulla atri sanguinis continuit; ventriculus magnam partem ingesti tabaci habuit, sed nihil aliud praebuit, quam puncta nonnulla e nigro rubra; cetera tubi intestinalis pars integra; cadaver collapsum fuit. —

Hora secunda in ventriculum canis mediae statura, tabaci pulverati uncia illata, oesophagus ligatus est. Aliquot minutis post animal vomituritioni primum; hora quarta nihil memoratum dignum; in sequente nocte exspiravit. Membranae mucosae ventriculi tota superficies coloris fuit perrubri; reliqua intestina integra visa. Pulmones lividi, sanguine tumidi, multo spissiores quam in naturali statu, magna macularum nigrarum copia tecti, major tabaci pars ventriculo adhuc inerat.

Texturae cellulosae canis dr. II tab. pulver. et totidem aquae injectae eadem fere symptomata praese tulerunt. — Idem experimentum in alio cane factum eundem eventum habuit. — Exploraturus cuinam parti tabaci actiones hae adscribendae essent numeri, quae in aqua solveretur, an quae non solveretur,

herba tabaci trita octogies aqua fervida tractata aequali modo ingesta est. Post quadraginta octo horas, quum nullum symptoma visum esset, animal tertio die finito mortuum est. —

Extractum foliorum eodem modo paratum, quum cani valido in ventriculum infusum esset, tertia hora post mortuus est. Sectio postridie instituta ostendit ventriculum paullisper inflammatum, canalem intestinalem parum mutatum, pulmones maculis lividis latissimis permultis sparsos, horumque texturam densiorem et sanguine repletam. —

Tabaci infusio, ex aquae unciis quinque cum foliorum uncia dimidia in cane valido nullas accessiones praebuit. In intestinum rectum plurimum canium et felis, ab una ad quatuor uncias infusi fortioris, injecit Brodieu. Haec animalia sensibus et mobilitate privata intra decem minutis periere. Pulsus cordis una ante mortem minuta non jam sentiebantur. Cadaveribus statim post mortem apertis: cor dilatatum et contractionum non compos. — Decoctum unciarum octo, ex una tabaci uncia in aquae unciis novem paratum, in clysmate cani valido ingestum, post tres minutis revellebatur et evomebatur. Inter primam semihoram animal non desit violentissimos facere, sed frustraneos vomendi nisus, ceterum nihil incommodi pati, postridie reconvaluisse visum est. Sine dubio succubuisset animal, si clysmata diutius reservaverit. Brodieu in linguam felis junioris guttam olei empyreumatici instillavit. Statim omnes musculi convulsionibus violentis moti; respiratio accelerata. Post quinque minutis animal sensibus privatum, in latere positum, quandoque tardas motiones convulsivas praebuit. Experimento post quindecim minutis iterato, post duas minutis animal periit. Thorax statim apertus est; cor ex ordine se contraxit et quidem multa vi; sanguis coloris fuit atrioris. Per tracheam aër inflatus est pulmonibus, inde cordis contractiones fortiores et frequentiores, neque per sex minutis donec inflatum est diminutae, lingua et cerebrum haud mutata. —

Hujus olei gutta in mucilagine ano injecta, post duas minutis animal debile frustra vomere nisum

est, et post quadrantem horam, quum vires jam redintegratae visae sint, injectio iterata est, quam eadem symptomata, quae in priore experimento secuta sunt. A Macartney, professore Dublinensi, caniculi pars superior cranii, et aliquantum membranarum cerebri relevatum est. Sanguinis fluxu desinente superficie cerebri guttae aliquae olei empyreumatici instillatae sunt. Post horam dimidiā symptomā memorabile non acciderat. Tum ejusdem olei duabus guttis linguae instillatis, caniculus occisus est. —

Hemisphaeriis aliis caniculi scrupulus dimidiū olei empyreumatici instillatus, intra horam dimidiā effectum non produxit. Ejusdem olei guttis tribus linguae instillatis animal illico periit. In aliis casibus, si oleum usque ad pontem Varolii illatum fuit, inter convulsiones animalia mortem obierunt, qui tamen exitus laesioni magis mechanicae cultri adscribendus. —

Nervo ischiadicō cuniculi a tegumentis liberato, et pluries hoc oleo tineto, nullum symptomā evenit.

Aliarum nicot. specierum vires jam ab Albini expertas, diversi esse effectus, in dissertatione sua ipse communicavit. Molossum enim, gallinam et columbas extracto foliorum imbutas, interfectas non esse refert.

In textura cellulosa cruris canis junioris, una drachma extracti aquosi nicotianae rusticae infusa est. Sex minutis post clamores edidit materiasque evomuit viridiusculas. Post duas minutās frustra evomere operam dedit. Hora praeterlapsa tam celeres erant cordis pulsationes, quam ante venenum infusum. Postero die, tertia post meridiem hora alimenta sumere noluit. Omnes ejus musculi levi tremulatione affecti erant; ipsum aliquantum debilitatum, nocte periit. Membrana mucosa stomachi colore fuit paene naturali, sed prope pylorum duas nigras maculas ostendit, acus capitulum aequantes in centro ulceratas. In pulmonibus complures maculae fuscae, atro sanguine replete. —

Idem repetitum est experimentum cum una drachma et 6 gr. ejusdem extracti. Quindecim minutis praeterlapsis, saepe evomuit animal, et clamores edidit miserabiles. Triginta sex minutis post substan-

stantiam infusam magnas sensit vertigines. Invasit status, quo nihil sentire posset. Undeviginti horas post operationem periit. Fieri vero non potuit, ut ullum inveniretur alterationis vestigium et in canale intestinali, et in pulmonibus, et in cerebro. —

Quibus experimentis collatis, Orfila has de tabaci efficacia profert sententias: Nicotianae foliis, sive integris, sive pulveratis, validum venenum inesse. Materiam efficacem modo ea parte contineri quae aqua solvi possit; effectus ejus letiferos a singulari quadam, qua in nervos agant, vi dependere, et fere semper tremorem universalem ex aliis venenis raro observatum producere; partem solubilem anno injectam validius agere, ac si telae cellulosae aut ventriculo infundatur. Locum infectum plus minusve inflammari; in hominem eadem ac in canes vi sua agere; oleum empyreumaticum neque in cerebrum, neque in nervos ipsos recta via, sed ratione quae investigari facile non possit vim exercere; Nicotianam rusticam similes, sed non tantos effectus producere. — Brodieus infuso tabacino si in intestinum rectum injiceretur, cor statim affici opinatus, experimento hujus rei causa in cane facto, errasse se convictus, auctam cordis affectionem nervis intercedentibus oriri ratus est. — Hisce addamus, quae experimentis in ipso humano corpore centum et pluribus etiam Fowlerus edoctus de efficacia tabaci edixerit <sup>1)</sup>). Infusum in modica dosi porrectum post motam vertiginem urinam pellere, majori in dosi una cum urina, cuius secretionem certissime augeat, saepe alvum laxare nauseamque proferre. — Ex centum et quindecim casibus, in quibus ab eo adhibitum est, in nonaginta tribus urinam secrevit, in quadraginta alvum laxavit, in septuaginta novem vertiginem, in quinquaginta duobus nauseam movit.

Permittatur nunc enucleare paucis verbis summam eorum, quae de concedenda nicotianae effi-

<sup>1)</sup> Medical Reports of the effects of Tobacco, principal with regard to its diuretic quality in the cure of dropsies and dysuries: together with some observations on the use of clysters of Tobacco, in the treatment of the colic. Lond. 1785. germ. exc. in Samml. auserles. Abhandl. zum Gebr. für. pract. Aerzte. XL 2 et 3. Lips. 1785.

cacia attulimus. Quem ut bene attingamus scopum, necessarium videtur, ut in quoque medicamine, sic etiam in sumenda nicotiana tres gradus, qui ejus usum sequuntur, statuamus.

Si in parva dosi adhibetur secretiones et resorptionem in organis internis, praesertim membranarum mucosarum et organi uropoëtici, multo minus cutis externi auget. — Fortiori dosi porrectum, plura et vehementiora phaenomena profert; cum nausea et propria quadam totius corporis ingrata affectione, vomitus vehementes et excretiones alvinae rarissime doloribus abdominalibus comitatae insequuntur; lassitudo; virium prostratio; omnium muscularum delassatio et relaxatio; artuum tandem tremor. Pro varia individuorum indole alia quoque signa plerumque associantur: caput grave, lassum; pupilla coarctata; facies pallida, pulsus parvus debilis, intermittens, rarus; respiratio difficilis, totumque corpus nimio sudore obfusum; in tenerioribus hominibus anxietas, animi dejectio, motiones convulsivae, syncopae. **Omnium** vero constantissimum signum tremor artuum observatur. Tertius efficacie gradus ille, ubi jam veneni instar apparet; ortam hanc in corpore humano haec fere semper symptomata sequuntur: ante omnia: magna virium prostratio et debilitas, tremor artuum in convulsiones mox transiens, tam diu perseveraturas, donec demum omnes musculi motioni inservientes paralysi et rigore occupantur; intestina vehementer infestata, respiratio valde turbata, pulsus maxime debilitatus et rarefactus, status syncoptici, lipothymia etc. Ex hisce omnibus ultro elucet, non immerito quidem inter acria narcotica, locum nicotianae assignandum esse, difficile autem dictu, quem inter cetera hujus ordinis remedia dignum occupet. Nam ob diureticas vires neque cum digitali, cui proxime accedit, quae autem magis in vasa arteriosa, et in membranas serosas totumque sistema lymphaticum agit, neque cum squilla, facultate narcotica prorsus carente, confundenda est. Facillime cum aconito analogia inveniri possit, cujus vero vires narcoticas quum attingat, aperte non modo facultate sua mere paralytica, quae præ ceteris in sistema musculosum et

organa fibrosa vim exercet, sed etiam validiore suo impetu, quem in superficies internas abdominis, et organi uropoëtici facit, ab eo differt. Altera cum belladonna adducenda est comparatio, utraque enim sistema nervosum offendit; sed quum belladonna, magis sensibilitatem minusque mobilitatem infestet; nicotiana autem vice versa nervorum magis motioni inservientem vim, alteri contra sensibilitatis fere omnino parcat, bene distinguuntur; eoque facilius, quum haec et symptomata quaedam ab illius plane diversa ostendat, ut tremorem artuum, pupillae diminutionem. Inde nicotianae peculiares virtutes hae colligi possunt. In nervos et fibras, praesertim ganglia et medullam spinalem, et nervos inde prodeuentes paralytice invehere, quo fiat, ut non modo in extremitatum musculis, sed in iis quoque, qui voluntati subjici non possunt, et ita in ipso corde, et systemate vasculo, paralysin variorum graduum proferre valeat; minima potentia cerebrum ipsum et sensibilitatem petere; neque imperium ejus in sistema resorbens et membranarum mucosarum negligendum esse, quo et urinae et aliarum secretionum copia, et excretio augeantur.

## DE USU NICOTIANAE.

Priusquam de usu ejus medico disseramus, liceat de diaetetico quaedam praefari, qui quam vulgaris ac immensus sit, jam ante attuli, ita ut jam hujus celebritatis causa diligentiore medicorum intentione dignus videatur. Tres modi exstant, quibus uti solent, quorum simplicissimus foliorum masticatio, quum nonnisi inter infimi ordinis homines occurrat, tantum de altero, ubi sub pulveris forma naribus attrahitur, et de tertio, ubi foliorum combustorum fumus ore hauritur, sermo erit. Paucillum pulveris ab insuetorum naribus tractum, primo sternutationem cum lacrymarum profusione profert, repetitum et majori copia sumptum, graviores capitis dolores excitat. Haec autem incommoda apud eos, qui usui ejus assuefiunt sensim sensimque evanescunt.

Simili modo fumum, qui inconsueti hauriunt

anxietate, siti, somnolentia, capitis dolore, vomitu, alvi solutione, vertigine aliquaque affectionibus vexantur, sed hi quoque brevi tempore eo perveniunt, ut non solum molestias jam non sentiant, sed etiam perpetuae voluptatis fontem accipient; et ita consuetudine et moribus etiam venena vinci posse videamus. Recentioribus temporibus, quo honore praesertim pulvis tabacinus familiariter oblatus, et una cum fumandi apparatu quasi societatis vinculum habeatur, nemo nescit. Nihilominus mirum est, et perversitatis humanarum passionum exemplum, quod mori, si nihil aliud dicimus, tam immundo et molesto a tot etiam honestissimis et delicatissimis hominibus obediatur. Proprie hanc consuetudinem interpretari conatus Chamberet<sup>1)</sup>: „hominem, ait, respectu organisationis suae continuo sentire oportet, se infelicem esse sive ob mala, jam a natura ei destinata, sive ob caecas suas passiones, errores, praejudicia etc. proinde jam naturali instinctu ad hoc ferri, ut considerationibus ejusmodi necessariis obediat quidem, attamen minori cum molestia; hoc autem effici usu incitamenti peculiaris, quod aptum sit ad excitandas impressiones fortes, vividas, et pro arbitrio renovandas; tale remedium tabacum agnatum esse, proprietate quippe praeditum meditationes hasce molestas pro tempore abigendi, distrahendi et alias easdemque vivaciores excitandi.” — Verum aliquid hisce inesse, neque omnino ideo tabacum detrectandum nemo negabit; sed etiam ratione salutari non sine omni laude exstitit. Quum enim ex urente tabaco partes narcoticae paene evanescant omnes, et oleum tantum empyreumaticum<sup>2)</sup> cum fumo in os trahatur, a foliis integris effectu valde discrepat, viresque manifestat antispasmodicas incitantes, antisепticas. Qua de re praecipue individuis commendari potest phlegmaticis, obesis, inertibus, parum corpus exercentibus, multum liquidorum absumentibus, in regione nebulosa, frigida, humida versanti-

---

<sup>1)</sup> Flor. medic. Tom. VI. p. 201. cit. Pauich l. c. p. 13.

<sup>2)</sup> cf. p. 6.

bus et iis, qui rheumatismis, inter ceteros praesertim odontalgia, tum asthmate, catarrhis pectoralibus, inertia alvi laborant. Virtus ejus famem sedandi diu nota et ab Helmontio<sup>1)</sup>, qui huic quidem non a tabaco satisficeri, sed ejus sensus magis obtundi edicit, affirmata est. Qua de causa iter facientibus gratum est, ut Ramazzini<sup>2)</sup> quoque monuit. Prophylacticum contra contagia validissimum praedicatum est a Diermerbroekio<sup>3)</sup> qui „ut verum, inquit, fatear, tabacum pro primario praeservativo in peste semper habui, et revera tale esse non sola inductus sum ratione, sed experimentis edoctus comperi, neque aliud melius pro ordinario usu hactenus inventum fuisse existimo.” — A multis autoribus jam a Willisio<sup>4)</sup> militibus commendatum, et ut in itinere fame non tam vexarentur, et ut a multis morbis tuti fierent. — Sed omnes hae meliores tabaci laudes tantummodo locum habere possunt, si modice et provide in usum vocatur. Nimium incautumque ejus abusum ocius serius multa gravissima sequuntur mala. Plura de repentina immodice adhibiti noxa exstant exempla: Homo, qui susceptae sponsonis causa uno vespero viginti quinque vasorum fumum hauserat, fatuus et amens factus est<sup>5)</sup>. — Par fratum, quorum alter septemdecim, alter duodeviginti vasa tabaco repleta exhauserat, uterque apoplexia mortuus est<sup>6)</sup>. Ac si plerumque tardius incedit, nunquam tamen penitus deficit periculum, ita ut Tissotius<sup>7)</sup> pronuntiaverit, se nunquam tales hominem senectutem assequi vidisse. Ut damna tabaci luculenter prodeant, hue apponantur, quae Kerkringius<sup>8)</sup> quam sectio-

<sup>1)</sup> Tractat de fame laes.

<sup>2)</sup> *Ramazzini de morbis artificum diatriba.* Venet. 1743.

<sup>3)</sup> Tractatus de peste, Lib. II. Cap. 12.

<sup>4)</sup> cit. Pauich I. c. p. 13.

<sup>5)</sup> *Marrigues in Vandermonde Recueil period.* T. VII. p. 68.

<sup>6)</sup> *Hellwig Obss. phys.-medd.* p. 45.

<sup>7)</sup> *Epistol. pract.* p. 337.

<sup>8)</sup> *Observationum anat.* XC.

nem hominis, qui tabaco nimis abusus fuerat instituisset, reperisse se scribit: „domum mihi visus sum intrare Plutoniam. Ecce tibi, in foribus atro calore tincta et quasi venenato succo imbuta intumuerat lingua, — quid trachea? camino similis nigra fuligine undique obducta, pulmones aridi, exsucci et paene friabiles; hepar tamquam p[re]ae ceteris traxisset incendium, totum erat inflammatum, a cujus flammis ne bilis quidem in cystide sita immunis erat, colorem enim contraxerat e purpureo viridescentem. Ad intestina vero, ut sunt saburra, confluxerant totius adustionis carbones, plena enim erant nigricante materia, quae non mitiorem ipso Averno spirabat odorem.” —

In medicina nicotiana arctis huc usque limitibus tentata, et magis propter virtutes suas acres et excitantes usitata est, quamquam ob detemperantes imo paralyticas reactiones in systema nervosum et in fibram irritabilem, certis conditionibus faustos successus promittere videtur. E multis, contra quos opes ejus arcessitae sunt, morbis eos tantum adducam, in quos certo modo actio ejus probata est:

*Contra hydrops.* Hisce curandis jam ducentis abhinc annis a Dodonaeo <sup>1)</sup> et Magneno <sup>2)</sup>, sed vario successu usitata, exeunte priori saeculo summa cum diligentia et observationis asservantia a Fowlero adhibita, insigni mox fama efferebatur. Ille enim salutarem ejus effectum multifariam expertus est in hydropibus, tam anasarca quam ascite, in hydrothorace et in variis oedematibus. Usus est plerumque foliorum infuso, cujus cum initio aegratis guttas quadraginta ad sexaginta porrexerit, aucta passim dosi in quibusdam casibus usque ad ducentas adscendit. Aucta urinae copia et alvo laxata, saepe jam post paucos dies status hydropici cedere videbantur. Aequali successu eum in adhibendo hoc remedio secutus est Garnett <sup>3)</sup>; alii medici idem tentaturi molestiis, quas canalis intestinalis patieba-

<sup>1)</sup> Neander l. c. p. 157. sqq.

<sup>2)</sup> l. c. p. 165 seqq.

<sup>3)</sup> cf. Vogt, Lehrb. d. Pharmakodyn. Giessen 1828. T. II. pag. 240.

tur, ab hac via deflectere cogebantur. Fowlerus hujus rei causa aegrotis plerumque simul roborantia et aromatica dedit. —

*Contra dysuriam* a calculis vesicalibus et renalibus, Fowler et Simmons infusum cum successu porrexerunt. In dysuria spastica ab Earle<sup>1)</sup> suppositoria et clysmata applicita optimum eventum adduxerunt, simulac enim fortiores nicotianae effectus, vertigo, tremor etc. accesserunt, urina facile excerni potuit. Eundem finem assecutus est Westberg, qui fincturae guttas viginti in infuso seminum lini binis horis porrigi jussit.

*Contra colicas*, praesertim quae a vehementibus flatibus, et in spasticis, magna cum tensione intestinalium, clysmata et tinctura in usum vocabantur. Lapones oleo empyreumatico contra colicam spastica sibi propriam uti feruntur<sup>2)</sup>.

*Contra affectiones asthmaticas.* Jam a Magneno<sup>3)</sup> in pectoris thoracis pulmonumque affectionibus frigidis, varia tabaci praeparata laudantur; Fowlerus in asthmate convulsivo, et Thilenius in tussi convulsiva, sicut contra inveteratas pulmonum blenorhoeas eximias ejus vires celebrant.

*Contra affectiones verminosas*, praesertim a lumbricis et ascaridibus prodeuntes, ubi et inveterato jam morbo utilissime se praebuit. Tympanitidem intestinalem jam diu durantem, neque ulli remedio cedentem, Fowlerus clysmatibus ex tabaco paratis curavit. — Et in tetano traumatico tabacum in clysmatibus et in cataplasmatibus, cervici aut ipsi vulneri impositis, etiam in balneis, magna cum efficacia recentioribus temporibus a medicis Anglicis O'Beirne<sup>4)</sup>, Norcom, Duncan, Anderson et aliis usitatum est.

---

<sup>1)</sup> in med. chirurg. transact. Vol. IV. Lond. 1815.

<sup>2)</sup> Montini diss. de medicina Lapponum in Halleri coll. diss. praest. Vol. 6. p. 742.

<sup>3)</sup> l. c.

<sup>4)</sup> v. Neue Samml. auserles. Abhandl. für pract. Aerzte. Leipzig 1822.

In multis aliis quoque morbis vario cum successu tabaco usi sunt medici, ita Rollo in diabete mellito praeter alia remedia, ut ventriculum exaltatum detemperaret, nicotianam addidit fumumque ore hauriendum, seu folia manducanda commendavit <sup>1)</sup>. Morbos quoque nervosos eo sanare tentavere Riverius, Hanemann et valde eam Coke laudat, sed sunt, qui tabacum hic damnum magis, quam utilitatem ferre contendant, quum nicotiana talium morborum fontem ipsum tantoties produxerit. Sed plura ab eo exspectari possunt in quibusdam epilepsiae formis; ipse Fowlerus cephalalgiae nervosae quaedam exempla et hysteriarum affectionum affert, in quibus vario successu nicotiana usus est <sup>2)</sup>, quamquam Greding abusu ejus epilepsiam et maniam augeri monet. Memoratu quoque dignum est, omnes fere melancholicos pulverem nicotianae sternutatorium vehementer appetere.

Fomentis e decocto tabaci solis adhibitis, paraphimosin chronicam, inflammatione et sensibilitate carentem, brevi tempore resolutam esse, Bergius <sup>3)</sup> refert. Dolores continuos, tumore albo junctos, in cubito scrophuloso cuiusdam individui, Fowlerus <sup>4)</sup> infuso per hebdomadem applicito debellasse se dicit. — Phthiriasin balneis tabacinis fugatam quidem, sed post duos menses rediisse legimus <sup>5)</sup>. Hyperemesis, quae ab ipecacuanha incitata fuerat, clysmatibus sedata est <sup>6)</sup>. Sueci <sup>7)</sup> infusum tabaci loco emetici in febribus putridis ineuntibus, et in morbis spasticis pro remedio domestico ha-

<sup>1)</sup> Rollo, über die honigartige Harnruhr. p. 11.

<sup>2)</sup> Samml. auserles. etc. l. c. p. 390.

<sup>3)</sup> Mat. med. e regno veget. ed. alt. T. I. p. 121.

<sup>4)</sup> l. c.

<sup>5)</sup> Hufeland Journal für die ges. Heilk. T. 36. p. 3.

<sup>6)</sup> ibidem T. 29. p. 5.

<sup>7)</sup> C. Sprengel, institut. pharmacol. Lips. 1816. p. 360.

bent, ab iisdem contra morsum colubri beri magna cum utilitate adhibetur.

Contra tineam capitis in usum vocabatur a Marryat, qui abrasis capillis, caput infuso tabaci fomentari, simulque mane et vespero unguento e pice et hydrargyro muriatico illini jussit <sup>1)</sup>). Eodem infuso ad enecandos pediculos usus est. Notum est unguentum nicotianae Jouberti, quod contra tumores scrophulosos, ulcera, tineam, et varia exanthemata chronicā adhibuit. In arte veterinaria contra ovium scabiem praestans remedium jam diu praebuit. P. Frank ceratum e nicotiana laudat, contra herpetem chronicum sine inflammatione et dolore adhibendum. Pulvis tabaci sternutatorius commendatur in multis oculorum morbis, ut secretionibus in naribus auctis, humores magis deducantur, contra gravedinem et repletiones in sinibus frontalibus et Highmorianis, in ozaena etc. — Fumigationis tabacinae effectus salutaris praedicatur contra odontalgiam rheumaticam et dentes cariosos, ad roborandam gингivam, contra gustum et olfactum debilitatum etc. —

Notissimus vero est in herniis incarceratis, et in ileo adhibendi tabaci modus in clysmatibus, idemque duplex. Alter ubi infusum in enemate injicitur, alter si propriis instrumentis fumus tabacinus ano inflatur. Sponte elucet quam diversi ex utroque oriantur effectus, necesse sit; hic enim, amissis ceteris, tantummodo e partibus acribus et oleo empyreumatico quum constet et vehementer incitet, aptissimum auxilium est in chronicis inveteratarum henniarum incarcerationibus. Illud vero integras fere narcoticas plantae partes asservans ano injectum, vi ejus, qua e nervis abdominalibus in totum systema nervosum agit, animi deliquia proferre valet, quibus durantibus hernia aut sponte recedit, aut sine multa opera reponi potest, quapropter in hernias spasticas et recenter incarceratas bene inservire potest.

---

<sup>1)</sup> G. W. Schwarze, pharm. Tabell. Leipzig. 1822. T. 2. p. 141.

Egregiam clysmatum contra hernias incarceratas openi summis laudibus evexit Heister, qui hisce herniotomiam supervacuam redditam esse non dubitavit. Etsi hanc sententiam non totam amplexi, multo tamen applausu Pott, Richter, Hey, Dessault et alii auxilium eorum celebrant. Ac Lawrence in nullo remedio tam saepe, et tam tuto in periculosissimis casibus refugium quaesitum esse affirmat. Praeterea etiam in asphyxia, praesertim aqua submersorum, suspensorum, et carbonum vaporibus suffocatorum commendata sunt clysmata, quibus casibus non tam infusi, quam fumi et quidem haud magna copia conveniret. Ad fumum in anum inflandum, multa inventa sunt instrumenta, sed omnia magis complicita, ut a Stisser<sup>1)</sup>, Schaeffer<sup>2)</sup>, de Haen<sup>3)</sup>, Gaubio, Feller, Bell et aliis. Simplicissimum est quod Gaubius<sup>4)</sup> construi curavit. Cum vero ejusmodi deficiat apparatus, neque ullum cessandi tempus sit, simplicissimus construi potest alias ex duabus fistulis tabacinis, quarum unius, tabaco repletae, manubrium, oleo illitum, ano inducitur. Hujus fistulae receptaculo, tabaco jam accenso, alterius receptaculum vacuum impunitur, et utroque luto aut charta humida circumdato, per alterius manubrium fumus ano inflatur. Quanta ad fumum inflandum foliorum copia adhibenda sit, difficile dictu est, quum e varia casuum dignitate, vario modo hic citiorem et vehementiorem, illic tardiorem effectum praebuerint, ita ut quandoque drachma aut duae sufficerint, saepe autem drachmae quatuor, quin etiam octo necessariae fuerint. Ad infusum parandum, in aquae libram, foliorum drachma sumi potest. Hic quoque, quanta injici oporteat copia, ambiguum est et cauta manus opus.

<sup>1)</sup> Epistola de mach. fumiduct. curiosis. Hamb. 1686. c. f.

<sup>2)</sup> J. G. Schaeffer, vom Gebrauch und Nutzen des Tabakrauchkl. nebst einer dazu bequemen Maschine. Ratisp. 1757. m. K.

<sup>3)</sup> Ratio medendi. P. p. 113.

<sup>4)</sup> Adversaria varii argumenti. L. I. c 4. c. tab. aen.

Tabaci praeparata multa jam prioribus saeculis nota fuerunt, quorum inter celeberrima referendum est Syrupus Quercetani simplex ex infuso tabaci, melle et aceto constans; praeter hoc multa alia obsoleta legi possunt apud Magnenum et Neandrum. Quae hodiernis etiam temporibus usitata sunt, eorum plurima Fowlerum auctorem habent. —

Infusum Nicotianae Fowleri. Ipse hanc formulam praescripsit:

*Rec.* Foliorum siccatorum Nicot. Virginensis unciam unam

Aqua bullientis libram unam.

Macera per horam intra vas clausum in balneo muriae, dein hujus infusi exprime uncias quatuor et colatura adde:

Spiritus vini rectificati unicas duas. — M.

Vinum nicotianae Fowl.

Foliorum unciam unam per quatuor dies macera cum vini Hisp. albi libra una. Dosis a guttis sexaginta ad centum.

Tinctura nicotianae Fowl.

Vini loco recipias spiritum vini — dosis circ. quinquag. gutt.

Acetum Nicot. Fowl. eodem modo cum aceto.  
Dosis eadem.

Unguentum Nicotianae Jouberti.

Foliorum tabaci concisorum librae tres, succi tabaci expressi unciae novem, et axungiae porcinae libra una et dimidia, per noctem unam maceratae, leni igne, usque ad humorum evaporationem, coquantur, et expressa cum cerae flavae uncia una et dimidia, resinae flavae et pulveris aristolochiae rotundae ana unciis tribus misceantur.

Vinum ophthalm. Janini, magnam quoque copiam extracti nicotianae continet.

Emplastrum nicotianae le Mortii e foliis et oleo tabaci cum multis resinis compositum.

## V I T A.

Ego HERMANNUS HEUTZFELD, fidei mosaicae addictus, Glogaviae, Silesiae inferioris oppido mense Mayo anni MDCCCIV, patre I. A. HEUTZFELD et matre DOROTHEA natus sum. Primis literarum rudimentis domi instructus, annum agens decimum tertium, gymnasium quod Vratislaviae floret, Elisabethanum, adii, cujus in secundum ordinem receptus, per quinque annos studia humaniora exercui. Quibus absolutis, maturitatis testimonio instructus et almam Universitatem Viadrinam aggressus, die XIX. Mart. MDCCCXXIII ab Illustr. MIDDELDORPF t. t. Rectore Magnifico, civum academicorum numero, atque ab Illustr. FISCHER t. t. philosophorum ordinis decano, philosophiae, et post semestre ab Illustr. BENEDICT Medicorum ordinis decano, medicinae studiosis adscriptus sum. In alma illa literarum sede hisce scholis adfui.

Illustr. WACHLER de historia medii aevi, de historia recentioris aevi, de historia recentissimi aevi, et de historia Alexandri magni, introduct. in historiam literarum.

- STEFFENS de anthropologia et hodogetice.
- FISCHER de chemia theoret. et practica, pharmaceutica, et de corp. reag.
- PASSOW de Catulli poëmatibus.
- TREVIRANUS de botanica et excurs. bot.
- OTTO de zoologia, de osteologia et syndesmologia, de anatomia corp. hum. theoret et pract. et comparata.
- HUENEFELD de anthropochemia.
- HENSCHEL de plantis officinalibus et de sexu plantarum.
- LICHTENSTAEDT de Celso et de historia med.

Anno MDCCCXXIV Berolinum me contuli, et die  
XIV. mens. Oct. ab Illustr. HOFFMANN t. t. Rectore  
magnifico, inter academicos cives receptus, apud Illustr.  
LINK t. t. Medicorum ordinis Decanum maxime specta-  
bilem nomen professus sum. In hac alma Musarum sede  
hasce scholas frequentavi:

Illustr. ERMANN de physice, de magnetismo et electri-  
citate.

- RUDOLPHI de anatomia pathologica.
- HORN de pathologia generali et de mentis morbis.
- RUST de chirurgia et de morbis syphiliticis.
- JUENGKEN de Akirurgia, ophthalmiatrica, akologia.
- SCHLEMM de Anatomia, Angiologia et Neurologia.
- SUNDELIN de materia medica.
- KLUGE de ossibus fractis et luxatis, de arte obste-  
tricia.

Nec defui institutionibus, quas viri Illustr. HUFELAND,  
RUST, DE GRAEFE, KLUGE, NEUMANN, DE STOSCH ad  
ipsos aegrotorum lectos habuerunt. —

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Amplissimis, Ex-  
perientissimis, palam summas, quas habeo gratias dico.

Jam vero cursu academico rite finito, tentamine phi-  
losophico et medico, examineque rigoroso coram Gratioso  
medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut disser-  
tatione thesibusque defensis, summi honores in medicina  
et chirurgia in me conferantur.

---

## **THESES DEFENDENDAE.**

*Arsenicum in curandis febribus intermittentibus plane rejiciendum.*

### **II.**

*Non exstat scarlatina benigna.*

### **III.**

*Amputatio in trismo traumatico pessimum remedium.*

### **IV.**

*Cura localis in hydrophobia majoris est momenti quam universalis.*

### **V.**

*Tumorum cysticorum extirpatio periculosa est.*

### **VI.**

*Cura fistulae ani semper non nisi dubiam prognosin permittit.*

---